



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

XIII. Summaria bonæ voluntatis descriptio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

Beati; quid isti in terris? Et hi laudant Deum, & illi. Et hi Deo placent, & illi: quodque illi amplius non possunt, hi, quia Deo placent, incrementum gratiæ promerentur. Illi in loco pacis securi sunt, hi etiam in bellorum sede tranquilli. Itaque, ô homo, si & hîc pariter & æternùm beatus esse vis, *Vide directionem, quâ dirigit te Deus*, verbis Augustini te alloquor, in fine concionis primæ in Psalmum 36. *ut omnia, quæ vult, velis & ipse: ipse enim est directio.* Tunc demum alternis vocibus concines lucidissimæ noctis, Sole animarum nostrarum exorto, in diem cõversæ, suavissimum Canticum, cum multitudine militiæ cælestis, laudantium Deum, ac dicentium: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

XIII. Epilogum ipsi claudamus brevi epilogo, ex dimetrorum pedestrium ternariis aliquot, quibus dictorum præcipua recensentur. Avaris opes suas sæpe ad calculos revocare jucundum est: nec nobis grave fuerit, divitiarum nostrarum cælestium numeros frequenter meminisse.

Summa-
ria bonæ
voluntatis
descriptio.

280 BONA VOLUNTAS.

Quæris, bona voluntas quid est?
Beatitudo ipsissima est,
Quanta esse sub cælo potest.

In ipso enim sinu Dei est,
Quia semper illi subdita est,
Et sponte, non gemens, subest.

Nihil ejus ubi sit interest,
Nec temporum metu anxia est;
Quia nusquam & nunquam sua est.

Quodcumque non vult, non adest;
Pariterque quod vult, non abest;
Quia illud unum vult, quod est.

Sic constitutæ nîl obest,
Nihil dæest, imò superest,
Regente qui cunctis præest.

Tota ex Deo, tota ad Deum est,
Tota in Deo, quia sub eo est,
Principium ei idem & finis est.

Per illam homo totus Dei est,
Et, poenè dixero, Deus est,
Cujus voluntas optima est.

INDEX